



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

33. De vocatione Nathanaëlis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

MEDITATIO XXXII.

De vocatione Philippi.

I. **I**N crastinum voluit IESUS exire in Galilæam, & invenit Philippum, *Ioan. 1. v. 43.*

II. Et dicit ei IESUS: Sequere me. *Ioan. 1. v. 43.*

III. Erat autem Philippus à Bethsaida, civitate Andreæ & Petri. *Ioan. 1. v. 44.*

MEDITATIO XXXIII.

De vocatione Nathanaëlis.

I. **I**Nvenit Philippus Nathanaël, & dicit ei: **Q**uem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus IESUM filium Ioseph à Nazareth. Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. *Ioan. 1. v. 45. & 46.*

II. Vidit IESUS Nathanaël venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanaël: Vnde me nosti? Respondit IESUS, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. *Ioan. 1. v. 47. & 48.*

III. Respondit ei Nathanaël, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël. Respon-

dit IESUS, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vide te sub ficu, credis: majus his videbis. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis caelum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.
Ioan. 1. 9. 49. 50. 51.

MEDITATIO XXXIV.

De secunda Petri, aliorumque vocatione ad sequelam solum temporaneam, cum animo revertendi ad piscationem.

I. Factum est, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: Piscatores autem descenderant, & lavabant retia. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas.
Luc. 5. 9. 1. 2. 3.

II. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt